
ANNO DOMINI MIX.

JOANNES XVIII PAPA

NOTITIA HISTORICA.

(CIACONIUS, *Vitæ Romanorum pontificum*, p. 283.)

Joannes XVIII, Fasanus vel Fassanus, Romanus, de vico portæ Methodii, imperatore Henrico juniore Augusto, sedit annos quinque, menses septem, dies viginti; creatus xii Kalendas Decembris: Joannes hic, quem vicesimum primum Platina vocat, seipsum decimum octavum appellat in suis diplomatibus: item publicarum tabularum instrumentis, suo tempore factis. Quare Joannes illi, quos nos XXI et XXIII vocamus, XIX et XX dicendi essent.

Hic pontificatum iniens, nil dignum memoria gessit. Quod magnopere celebrari possit. Aliquot tamen ecclesias præ vetustate corruentes reparasse quidam scribunt; monachorum, et præcipue Casinensium, quibus multa privilegia concessit, maximus amator exstitit.

Exstat ad hunc papam decimum octavum Ful-

berti Carnutensis episcopi, viri celeberrimi, epistola, qua conqueritur Rodolphum quemdam res suæ Ecclesiæ invasisse, clericum suum propriis manibus interfecisse, duos captos tenere.

Ab hoc Senenses in Etruria primum episcopo decorati sunt, anno 1009

Burchardus, anno 1008, Ecclesiam Vormartiensem recepit, qui volumen Decretorum confecit.

Synodus Germanica, jussu imperatoris Henrici, ex omnibus imperii episcopis congregata anno 1004, sub pontificatum Joannis XVIII papæ.

Item Synodus Frankfordiensis, anno 1006.

Obit tandem Romæ Joannes XVIII papa, xv Kal. Augusti, anno 1009; sepultus Laterani. Vacavit sedes diebus triginta.

NOTITIA DIPLOMATICA,

Joannis bullæ sunt scriptæ per manum:

Georgii notarii ac scriniarii S. R. E. (1).

Petri » » » » » (2, 5, 10).

Benedicti regionarii notarii ac scriniarii S. R. E. (4).

Petri abbatis et cancellarii sacri Lateranensis palatii (6, 7, 9).

Stephani notarii et scriniarii » » » (11).

Ingilonis (Joannis?) scriniarii S. ap. sed. (8).

Date per m.

Gregorii episcopi S. Ostiensis Ecclesiæ et Bibliothecarii S. sed. apost. (3, 4).

JOANNIS XVIII PAPÆ EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Joannes XVIII monasterii S. Florentii Salmuriensis privilegia et possessiones confirmat.

(Anno 1004).

[DOM MARTEN., *Vet. Script. Collect.* V. 1104].

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ROBERTO venerabili abbati monasterii S. Florentii confessoris Christi, siti in loco qui dicitur Salmurus, ejusdemque successoribus cunctisque in eodem loco commorantibus fratribus perpetuum vale.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollutibus in benevola compassione succurrere, et

B promptum animi impertiri assensum. Tunc enim lucri potissimum præmium apud conditorem omnium Deum reponitur, quando venerabilia loca oportune ad statum rectitudinis sunt perducta. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium S. Florentii confessoris Christi, situm in loco qui dicitur Salmurus, in territorio Andegavensi, privilegiis sedis apostolicæ decoraretur, libenti animo petitioni tuæ assensum damus. Quia vero ipsum monasterium olim a Carolo imperatore nobiliter constructum fuerat in loco vocabulo Glonna, ubi S. Florentius post diutinam vitam spiritum cælo reddidit, et præceptis imperialibus atque privile-